

suprà diximus, vtque etiam aduerit Collegium Complut. sequitur euidenter à prima; nam tanta est vis formæ ad actuandum, quanta est materiæ ad recipiendum: quare si materia habeat vim, & capacitatem recipiendi duas formas simul, & semel, etiam poterit vna forma duas materias actuare simul, & semel.

*Prob. primò.*

Probanda est ergo sola prima pars *primò*: Sicut se habet capacitas vnus loci ad duo corpora simul, & semel recipienda, ita & capacitas materiæ ad duas formas simul, & semel recipiendas; sed potest diuinitus vnus idemque numero locus recipere, & retinere duo corpora totalia, ergo & vna numero materia duas recipere formas substantiales totales: minorem docuimus in Metaphysica, estque communis inter Philosophos; maior verò probatur: sicut non est repugnantia in loco respectu duorum corporum, nisi repugnantia naturalis, ita nec in materia nisi repugnantia naturalis; nam sicut vnus locus habet aptitudinem naturalem ad vnum tantum corpus recipiendum, ita vna numero materia habet aptitudinem naturalem ad vnam tantum formam; & sicut est de ratione vnus loci non circumscribere, nisi vnum corpus, ita est de ratione materiæ respectu formæ: ergo si non obstante illo, quod est de ratione loci, in vno tamen loco diuinitus possit esse duo corpora, ita non obstante illo, quod est de ratione materiæ, diuinitus tamen materia poterit habere duas formas, seu in ea poterunt esse duæ formæ, siue speciei, siue numero distinctæ.

Respondet Collegium Complut. *cit. quest. paragr. 4.* dictum argumentum esse potius pro se, quam contrà. datque rationem ex eo, quod inquit: ideò duo corpora possunt esse diuinitus in eodem loco, quia in virtute locali possunt fieri vnum; vnde vnum erunt localiter, duo verò entitatiuè; sed duæ formæ virtute informandi sunt duæ, neque possunt fieri vnum quid, quia semper informant vt distinctæ specie, & consequenter dant suis compositis species diuersas; quare nunquam poterunt esse simul.

Respondeo tamen esse validum pro nostra resolutione dictum argumentum, nullòque modo facere pro Collegio Complut. exemplum enim de loco est omnino ad rem, estque omnimoda paritas; nam sicut duo corpora in eodem loco, licet remaneant duo entitatiuè, sunt tamen vnum localiter: ita licet duæ formæ in eadem materia remaneant duæ formæ; tamen sunt vnum quid subiectiuè informatiuè, quia sunt in eodem subiecto, in eadem scilicet materia: Et dum instant: duæ formæ in virtute informandi sunt duæ: in virtute actiua sunt duæ, concedo: at in virtute passiva, seu receptiuè sunt quid vnum; sicut duo corpora sunt duo in virtute occupandi locum, ita duæ formæ in virtute informandi sunt duæ; attamen si contingat duo illa corpora recipi in eodem loco, erunt localiter vnum; ita etiam si contingat duas formas esse in materia eadem; erunt, vt ita loquar, materialiter, & subiectiuè vnum. Addo & ampliùs materiam esse magis capacem duarum formarum, quam locus sit duorum corporum; locus enim non habet capacitatem, nisi ad corpus sibi proportionatum; v. g. locus palmaris non habet capacita-

tem, nisi ad corpus palmare, sed materia habet capacitatem ad quasunque formas. Ad vltimum, quod insinuat Collegium Complut. nimirum quòd compositum poneretur in diuersis speciebus, si illæ formæ essent diuersæ specie. Resp. in illo casu compositum non esse vnum, sed plura, quia essent plures formæ, sicut anima, & cadaver de facto sunt plura entia naturalia; quia licet sint in eadem materia, habent tamen diuersas formas; ergo sicut vna numero materia est sub diuersis formis successiuè, vna, inquam, numero manens, ita non repugnat quòd simul sit sub diuersis formis vna numero manens: item sicut licet in diuinis sit vna Deitas, sunt tamen tres personæ diuinæ, quia sunt tres personalitates, sic in materia, vbifessent plures formæ substantiales, dicerentur plura composita; e contra verò si vna forma informaret plures materias, esset solum vnum compositum substantiale, quia vltimum complementum esset vnum, nempe vna numero forma; non ergo materia multiplicat compositum, neque etiam vnitatem dat composito; alioquin, cum sit vna numero materia sub forma viuente, & sub caduere, ideò esset idem compositum viuens, & mortuum: est quidem idem corpus, non tamen idem compositum. Quare inconcussa manet resolutio nostræ primæ ratio. Quòd si dicas, illæ duæ formæ transirent in vnam tertiam entitatem, ergo esset vnum tantum compositum. Respondeo negando antecedens; transirent enim in duas tertias entitates, essentque duo composita.

*Secundo* probatur Resolutio: Si repugnet; hoc proueniret vel ex parte materiæ, vel ex parte formarum, siue coniunctim, siue diuisim: non ex parte materiæ, quia dum materia informatur vnâ formâ, non desinit retinere potentiam ad alias, quare quoad hoc non est limitata potentia materiæ, nec receptio vnus formæ destruit potentiam ad alias: non etiam repugnat ex parte formarum, quia maior est incompossibilitas duarum formarum contrariarum accidentalium, quam duarum formarum substantiarum, quæ non sunt sibi propriè contrariæ; sed duo contraria v. g. calor & frigus possunt diuinitus esse in eodem subiecto, ergo & duæ formæ substantiales in eadem materia: neque ex parte vtriusque, quia repugnantia ex parte vtriusque importat repugnantiam, saltem ex parte vnus; at non ex parte vnus, ergo nec ex parte vtriusque simul.

Respondet Complut. Collegium repugnare, & ex parte materiæ, & ex parte formæ. Ex parte quidem materiæ, quia dum habet actualiter vnam formam, non retinet potentiam ad habendam aliam in sensu composito, sed tantum in sensu diuiso: ex parte etiam formarum repugnat; quia tunc est maior incompossibilitas, quam inter duo propriè dicta contraria, quia formæ substantiales, cum sint simpliciter actus primi, non possunt supponere actum alium primum in materia; ergo vna forma substantialis non potest supponere aliam formam substantialem in eadem materia; alioquin vnus actus primus supponeret alium actum primum; & ita ille actus primus non esset actus primus, quod implicat; sed formæ accidentales contrariæ non sunt

*Secundò.*